

## Le lettere.

### 1.

*Epistola domini Pauli de Bernardo responsiva ad quandam domini Benintendi cancellarii Venetiarum, cuius initium: ut a me aliquid audias etc.<sup>a)</sup>.*

[Vat. cc. 103 r-104 r; Vi. c. 340 r-341 r; M. c. 183; L. c. 96].

Satis me tibi gratum existimabam, optime pater, et inter domesticos tuos gloriabar singulari tibi familiaritate connexum. Adauxit gloriam hanc epistola tua, in qua humanitatem et gratiam simul ostendens intima cordis paterna quadam dulcedine demonstrasti. Felicem tanta benignitate me reproto, felicem quod tantum et tales virum, tanto curarum pondere pressum, tam variis rebus implicitum ad scribendum pusillus impulerim, et, quod felicitatem non minuit, me dignum stilo fecisse videris, quo apud doctos et ingenio celebres, cum grande aliquid niteris scribere, usus es. Ingens est caritas tua, imensa bonitas tibi innata, et plus quam dici posset mira sunt pietatis opera, quibus prosequeris notos tuos; mira quidem apud vite disciplineque tue ignaros, sed hic mos tibi est, hunc tibi, nec est parum, Superi concessere: ut preter dotes alias sic diligas tuos, quemadmodum sumus ille rerum Opifex suos traditur dilexisse. Vellem autem ad tante mansuetudinis gratias exolvendas sufficere, nam neque cui-

<sup>a)</sup> Cfr. a pagg. 34, 45, 56, 59-61, 72, 148, 149, 151, 159, 160.

<sup>1</sup> Responsivam cod. Beneintendi Cancellario Veneciarum viro spectabili atque insigni *Vi.* Beneintendi cancellario Venetorum viro spectabili atque insigni *M. L.* <sup>4</sup> *Vi.* Adduxit. <sup>11</sup> scribere] om. *Vat.* <sup>15</sup> alias]. *Vi.* illas, <sup>16</sup> rerum] rex et *L.* suos] om. *M.* e *L.*